

D. D.

PERMISSU AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH.

In. percelebri Aboënsi Academia,

DISPUTATIO MAGISTRALIS,

DE

PROVIDENTIA

FATALI,

PRÆSIDE,

*Admod. Reverendo & Celeberrimo,*

DN. TORST. RUDEEN

Poës. Prof. Ord.

*Quam*

Ad d. 6. Octob. DEO propitio,

Anni 1700.

*aque cœsentium judicio defert*

MAGNUS ALOPÆUS.

In Auditorio Majori.

---

Exc. JO. WALLIUS,

*L. Wallius*

In Disputationem elegantem

DE

PROVIDENTIA,

*Clarissimi Juvenis*

DN. MAGNI ALOP ÆI,

Philosophiæ Candidati meritissimi,  
& convictoris bellissimi,



Il stringunt mala fata bonos,  
pravosque benigna  
Mulcent, continuo dic ibi ad-  
esse DEUM.

Sedibus is altis residens, cum lu-  
dere gestit,

Hic statuit campum : nos jubet  
esse pilas.

CHRISTIERN ALANDER

Prof: El:



## CAP. I.

### §. I.



*F*elicitas quoniam vera est, felicitate dignum videri; non inuitus agnoscat homo se in felicitate exoptatâ reperiri, quum sciat ex omni animantium genere tantò se maiorem quantò meliorem haberi in conspectu ejus qui propè est à nobis, nobiscum est, & intus est. Dignum verò ipsum felicitate videri, non negabis si sensisti quomodo præest tibi Numen & scienter cum inspectione regit ut ipsum nec in minimo motu lateas. Quam felicem autem conveniat se hoc nomine quemvis putare, quod DEUS non indignam tulerit sua Majestate nostri curam, docuerunt etiam saniores gentilium: quorum præclara dicta & cogitata de provida DEI curâ, hisce pagellis, DEO provido, delectari sumus.



2  
**N**obis adventitia gratiosa luce do-  
tatis, ut non fortuitæ aut errantis  
materiæ esse hunc ordinem, sed DEI o-  
mnipotentis manu exstructum; ita solli-  
citâ ipsius curâ usque dum continua-  
tum, qui providentia audit, in confesso  
est facile. Quod autem Ethnica natio,  
hoc lumine destituta, non dicam cogno-  
verit se DEO curæ esse, sed videatur  
multos Christianæ gentis in cultu DEI  
& confidentiâ in eum, præterire, res  
est memorabilis. Non dicam de sin-  
gulis eorum cum & quidam eò de-  
mentia rapti sint, ut etiam de Numi-  
nis existentia se profiterentur incer-  
tos, ut Protagoras, qui, an esset Divi-  
nitas, nec ne? sibi liquere non dixit, &  
Diagoras ob inultum discipuli scelus,  
negavit providentiam, & qui sunt alii,  
quod vel ex affectus vehementia vel  
prava saltem dispositione ortum habet;  
Cum & inter Christianos non dubite-  
mus impios esse, qui in corde suo ne-  
gent DEUM: nec valeat â particulari  
ad

ad universale, sed manebit hoc, quod affectus malitie, non tollat habitum nature. Certè imitatione digna sunt quæ passim in libris Philosophorum offendimus, eoque magis, quod vita dictis egregiè responderit, paucos in exemplum adduco: *Materie universe*, dicit Cicero, *fictrix & moderatrix est divina providentia*. L. 3. d. Nat. Deor. Prodit Seneca qui: *quis, inquit, credet sine custode tantum opus stare, & hunc siderum cursum, discursumve, fortuiti impetus esse*. d. provid. c. 1. & Epist. 41. *Non exorandus est aditus ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator & custos*. Excellens Homerus de Jove:

*Mortalia facta mortalesque videt.*

Item Trismegistus ( siquidem genuinum fuerit Mercurii illius ter Maximi scriptum quod circumfertur ) cit. Lipsio Physiol. Stoicæ L. 1. dissert. 12. *omnia naturâ, & fato sunt, nec est locus vacuus à providentiâ*. Quid autem providentia sit,

fit,

4  
fit, indicat vox, scilicet, sollicitudo  
& cura de eventu futurorum. Jeju-  
nè tunc de eâ Cicero, quando: *pro-  
videntia*, inquit, est *per quam futurum a-  
liquid videtur antequam factum sit.* L. 2. d.  
Invent. Prævidet sic Astrologus immi-  
nentem tempestatem, sed absque curâ  
illorum quos invasura est; accuratius  
in Lib. 2. d. Nat. Deor. c. 58. quod sit  
in his maximè occupata, primum ut  
mundus quam aptissimus sit ad perman-  
endum, deinde, ut nulla re egeat. Et  
Boetius lib. 4. pr. 6. d. Consol. Phil.  
quod sit *divina ratio in summo omnium  
principio constituta, quæ cuncta disponit.* vel  
Cum Laërtio: *Providentia est ratio per-  
quam facta, sunt facta; fiunt, quæ fiunt; fi-  
ent, quæ fient.* Adjicio definitionem Tris-  
megisti: *Est autem providentia in se perfe-  
cta ratio celestis DEI, cui due sunt cogna-  
te facultates, necessitas & fatum.* Lips. d. l.

§. II.

Jam ergò ad Fatum, quod ex provi-  
dentia ordinatum est, & quidem ita,  
jux-



5  
juxta Lipsium eruditissimum, ut providentia in ipso DEO sit scientia vel sententia omnium; fatum verò lex ipsa & decretum singulis datum. Sit ita: providentia est decernens, fatum est ipsum decretum. Divus Augustinus. L. 5. d. CIV. DEI c. 9, sic distinguit *voluntatem & fatum*, quemadmodum Boëtius inter *Providentiam & fatum*, quod providentia sit in DEO, fatum autem rebus mobilibus inhærens dispositio, per quam providentia quæque necit suis ordinibus. Apulejus in dogmate Platonis ita hæc conjungit: *Si quid, inquit, providentiâ agitur, id agitur etiam fato: & quod fato terminatur, Providentiâ debet susceptum videri.* Gellius in Noct. Attic. L. 6. c. 2. ad Chrysippi sententiam sic definit hoc: *Fatum est sempiterna quedam & indeclinabilis series rerum & catena, volvens semet ipsa sese & implicans æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est.* Alii verbis aliis, sed sentu ferè eodem. Dicitur catena, quia ordo rerum, ut dicit Seneca, longus est, & causarum series

im-

implexa. Apulejus fatum statuit, per quod inevitabiles DEI cogitationes complentur, per quas cogitationes certum est ipsum intelligere *primam providentiam*, in quâ fatum esset reconditum; Secunda enim provid: ipsum est fatum, & tertia idem quod fati consequentia vid. Lips: ut fatum sic non sit DEUS, licet præcipuè Stoici, fati, Numinis, naturæ ac DEI vocibus utantur indifferenter, fatum enim lex est à DEO, quia omnia certâ & in æternum dictâ lege decurre dicunt, vel omnia æternæ legis imperio fieri, i. e. fato. Dicimus hoc providentiæ factum esse, ut sic benè quadret originationo quæ est à *fando*, quod enim fatur DEUS providens, id verè futurum est, *quid aliud est fatum quam quod de uno quoque nostrum factus est DEUS* Minuc. Felix apud Soran: Græcis dicitur *εὐαγγελίη ἀ μέγιστον*, quod fato suum cuique divisum sit. Novimus id variè accipi, aliud videlicet esse fatum Astrologicum, quo stellarum virtuti certi effectus tribuuntur; aliud physicum, quod



quod naturalem rerum ordinem denotat; aliud item Theologicum quod Creatoris decreto rerum eventus adscribit, de quo jam nobis est agendum, licet theologicum id sit gentile. Denique fatum dicitur etiam certus annorum numerus, sc: anni 90 ut plurimum, quod fatum triplo complevisse existimo Nestorem, qui tres viri ætates juxta Homerum i. Iliad. vixisse dicitur; quare Moses dicitur fata transgressus cum diutius degerit. Ex veterum sententiâ accipitur vox fati i. pro naturâ, ut actiones liberæ & fortuitæ extra hoc sint: Ita Virg: 4. Æneid. Didonem se perimentem non dicit fato mori. 2. pro æternâ & necessariâ causarum seriè. 3. pro siderum regimine. 4. pro divini consilii executione. Non usque adeò tanta videtur esse hæc diversitas dextrè conciliata, quantam nimius obtrectandi pruritus illam jam fecit, ut in contraria principia hæc sententiæ jam factæ sint. In fronte dissertatiunculæ hujus dixi *providentiam fatalem*, me pertra-

Etæ-

ctaturum, 1. ad excludendam fortunam  
 è providentiæ regno, nihil enim fit te-  
 mere in respectu ad Creatorem. 2. ut ex-  
 ponerem Philosophorum de providentia  
 sententiam, qui angustiiori fato illam in-  
 cludentes, duriusculè locuti videntur.

§. III.

U<sup>t</sup> sententia Stoicorū hic quam maxi-  
 me de fato explicanda venit, probabi-  
 mus ulterius vel ex solo Seneca, quid  
 intellexerint per illud, nempe volunta-  
 tem DEI & causas rei cujusvis. Seneca  
 ex Cleante Stoico seqq. versus latinos  
 fecit:

*Duc me summe Pater alti dominator Olympi,  
 Quocunque placuerit, nulla parendi mora est.  
 Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens.  
 Malusque patiar facere, quod licuit bono,  
 Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

Hic ultimo verlu, August: teste L. 5. c. 8.  
 C. D. id fata appellat, quod supra sum-  
 mi Patris voluntatem. Cicero 1. d. di-  
 vinat. c. 125. sic: *fieri omnia fato ratio co-  
 git fateri, fatum autem id appello quod græci*

*ἀναπύεον*, id est, ordinem seriemque causa-  
rum, cum causa causa nexa rem ex se gignat,  
i. e. usque dum res ad ultimum effe-  
ctum perducatur. Ea est ex omni aterni-  
tate fluens veritas sempiterna, ut nihil sit  
futurum, cujus non causas id ipsum effi-  
cientes, natura contineat. Mentem ipso-  
rum de fato explicat Coquejus in pro-  
ximè dict. Augustini loc: ejusmodi ex-  
emplo: *Si quis Roma natus Florentiam ve-*  
*nerit, & cum ibi excitatus esset tumultus, vo-*  
*lens eundem sedare, interfectus sit, hæc omnia*  
*ex quibus factum est ut vir ille occisus fue-*  
*rit, fati nomine Stoici intelligunt: pri-*  
*mam autem causam ex quâ omnia*  
*dependent esse DEUM; sed ut sanctis-*  
*simum Numen liberarent facinoroso*  
*quovis actu, ita hæc conciliarunt, ut in-*  
*genia tamen mentium humanarum*  
*statuerint eo modo fato obnoxia, quo*  
*ipso-  
rum proprietas & qualitas est, ni-*  
*mimirum si naturam habent benè attem-*  
*peratam, poterunt sine noxa transmit-*  
*tere vim externam; sin asperam & in-*  
*cultam, etiam minimum fati incommo-*



dum non ferent, atque sic propria scævitate & voluntario impetu consentur in delicta ruere, causas enim proximas posse cum voluntate flectere & moderari primariam causam. Ut hæc sit sequela: DEUS est qui te sustentat, si attemperaveris te ad bonum, laudem mereberis; si ad malum, pudorem & pœnam: prout qui protrusit cylindrum, dedit quidem ei principium motus, volubilitatem autem non dedit, quæ ex propria vi & natura provenit; ita malefici & ignavi non ad fati necessitatem tanquam asylum fugiant, sed propriam temeritatem incusent: conf. Lips. Phys. diss. 14. nam *DEUS administrat omnia que creavit, sed ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* Aug. Civ. L. 7. c. 30.

§. IV.

**L**ubet rimari Poëtarum facetias in hoc passu, qui in primordio orbis dicunt singulos DEOS Deasque convenisse ad sancendum mortalibus ordinem agendorum ut & terminum vitæ, quos

quos præterire non possent. Præcipuos  
verò adfuisse 12 invisibiles, quos, teste  
Apulejo, intellectu contemplari oportebat, ut sunt

*Mercurius Jovi, Neptunus, Vulcanus Apollo.  
Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus,  
Mars.*

Hos Plato vocat naturas incorporeas  
animales, prorsus ac retrò æviternos,  
sine exordio & fine. Decretum ve-  
rò omnium consensu approbatum,  
dictum est *fatum* & relatum in tabu-  
las marmoreas, quæ Parcarum fide-  
licustodiæ traditæ sunt, quarum esset in-  
teresse, tam in mundum prodeuntibus  
quam ex eo demigrantibus omniumque  
vitæ rationem habere, juxta illud:

*Clotko colum retinet, Lachesis net & Atro-  
pos occat.*

----- *post illic accidet illi*

*Quod fatum, Parceque graves in stamine  
nerunt*

*Nascenti, tum cum Matris promergeret alvo:  
Vid. Myth. Schæv. d. Parcis, & Erasmi. A-  
dag. de necessit. p. 664.*

Hoc

Hoc ita per fabulas; sed subest veri ratio, nam cum veteres plurimum essent solliciti de themate cujusque natali & siderum positu, præcipuè Lunæ oppositione & conjunctione cum aliis, quod humidorum mater esset, Parcas dixerunt regere nos, hoc est Lunam; quare Mahumedani adhuc, primâ Lunæ facie apparente, vociferantur, *Allah Cobar*, i. e. DEUS magnus, ut demonstrat doctus Huëtius demonst: Evang. proposit. 4. Collimat huc Seneca L. 5. d. Prov. dicens: *Fata nos ducunt & quantum cuiq; restet, prima nascentium hora disposuit.* Item; olim constitutum est, *quid gaudeas, quid fleas, primusque dies dedit extremum.* Vid. Act. 5. Oedip. n. 980. Cui ergò male in vitâ esset cessurum, ejus Matri nubenti.

.. .. Non pronuba Juno,  
 Nec Hymeneus adest, non illi Gratia lecto,  
 Eumenides tenuere faces de funere raptas,  
 Eumenides strabere torum, &c.

Ovid. Metam. L. 6. Fab. 8.

Fatale erat Meleagro tamdiu vivere donec titio, igni â Parcis impositus, con-



sumeretur. *ibid.* L. 8. Fab. 4. Sic in fati-  
 tis erat Achillem in bello Trojano oc-  
 cubiturū, quod Matri Thetidi per Pro-  
 teum innotuit, quæ illum subducere  
 tentans, comisit fidei Regis Lycomedis  
 sub habitu puellari; sed fata nihilo se-  
 cius completa sunt, cum detectus rape-  
 retur ad Trojam, ibique vitam pone-  
 ret, confirmans sic illud Curtii L. 5. c. II.  
*Eludant licet, quibus forte ac temere huma-  
 na negotia volvi agique persuasum est: equi-  
 dem aeterna constitutione crediderim, nexuq;  
 causarum latentium, multò ante destinata-  
 rum, suum quemque ordinem immutabili le-  
 ge percurrere. Hinc extitere tot oracula  
 & tot sortes ut Prænestina, Herculea,  
 Dodanea &c. quibus anxie quærebatur  
 quis exitus cuique rei in fatiis esset assi-  
 gnatus. Conf. Van-Dahlen de Orac.*

## C A P. II

### §. I.

**N**on dubium est quin multa rectè  
 docuerint Stoici, ut non deroget a-  
 lius iis hoc quod Seneca ipse pronunciat  
 Epi-

Epist., 33, solum, scilicet: eorum contextum esse virilem, & quocumque miseris oculum, id occurrere quod eminere possit. Sed de fato ipsorum jam est in ore omnium: fatuum est fatum Stoicum; Verum si dicendum quod res est, etiam hic delictus locum habet, nam si quæ asperè dicta sunt uno loco, videmus ea mitescere alibi per planiorem expositionem, sic e. g. dicit Seneca c. 5. d. provid. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; nam imminutio Majestatis est & confessio erroris fecisse mutanda. I. quæst. nat. dicas hæc parum decenter esse dicta ex dignitate DEI, quasi semel decreta non posset mutare, ut Lucanus concinit:

*Fixxit in æternum causas: quæ cuncta coercet,  
Se quoque lege tenens* - - -

Sed interpretatur illud mox ibid: nec DEUS, inquit, ob hæc minus liber aut potens est, ipse enim est necessitas sua. Liberum facit, sic & nos, & tamen dicimus: ordinem semel constituit, quem facile non mutat ex Psal. 119. 91. cont. Danh.

Hodol. p. m. 317. piunt restatur Cl. Lipsius hunc sensum, nec aliter in totâ refati apud germanos Stoicos haberi: Stat ab illo August. d. Civ. 5. 3. dicens: *quæ omnium connexionem, seriemque causarum quâ fit omne quod fit, fati nomine appellant, non multum curi iis de verbi controversiâ certandum atque laborandum est: quandoquidem ipsum causarum ordinem & quandam connexionem DEI summi tribuunt voluntati &c.* Addit huic loco Ludov. Vives egregiè: *fato inquit, cum subdunt animos Stoici, non tamen necessitatem illis concedunt, fato enim fiunt omnia, causis antecedentibus & proximis, sed non principalibus & perfectis.* Et paulo post: *at cum fato fieri omnia, & fato inesse necessitatem ajunt, de mente illâ & providentiâ DEI loquuntur.* Certè fatum nihil est aliud quam dispositio providentiæ. Ad illud modo allat: Lucani, quod DEUS semet lege teneat, commentatur Seneca sic: *Externæ DEOS non cogunt, sed sua illis in legem æterna voluntas est.* Quis non diceret absurdum illud: ex Epist. 29. p. m. 82. *Sine metu*

*Deo,*



*Deorum hominumque viuas!* sed prohibet viri  
 summa pietas nos atheum ex hoc illum  
 judicare, cum potius doceat nos ita vi-  
 vere ut tuti simus à timore vindictæ.  
 Ergò nec in reliquis simpliciter culpan-  
 dus, & quid in necessitate genuina stoica  
 damnandum sit, ostendam exemplo: Sal-  
 vator Matth. 18, dicit *necessarium esse ut*  
*veniant scandala*, an innuat hominis ar-  
 bitrii libertatem imminui & corrumpi  
 à DEO, vel ejusdem actionibus vim in-  
 ferri, quò melius fierent, juxta hoc ef-  
 fatum, scandala? minimè gentium. Sed  
 ex causa in actu posita ostendit sequi  
 effectum necessario. Scil: Mens & vo-  
 luntas hominum cum sit prava, etiam  
 prava & scandalosa sequi acta. Pari mo-  
 do intelligendum, quod fatum immo-  
 bile sit, sed ita ut rebus mobilibus inhæ-  
 reat, quas gyrat & flectit, non fortiter  
 & insitos motus tollendo; sed suaviter  
 & quasi persuadendo, cum ad cujusque  
 naturam compositum sit, necessario cum  
 necessariis, liberè cum liberis agens.  
 Potest ergo dici quod omnia fiant ex  
 ne-

necessitate 1. respectu præscientiæ di-  
 vinæ, quæ habet sese æqualiter ad bona  
 & mala, absque tamen omni illatione  
 causalitatis ut cum Logicis loquamur,  
 quia quomodocunque res nostræ ceci-  
 derint, DEUS omninò illas sic videt, nec  
 enim prævidit, cum omnia contempletur  
 in perpetuo τὸ ὄν. 2. Hæc vel illa res  
 necessario erit talis vel talis modo causa  
 ipsius ordinaria non depravetur aut in-  
 hibeatur; sin autem hoc, necessario  
 etiam effectus labem sentiet. Et sic  
 3. necessarii sunt effectus quatenus à fa-  
 to, tanquam causa superiori veniunt,  
 sed quatenus ad nos spectant fiunt for-  
 tuiti & contingentes. conf. L' Grand.  
 Inst. Ph. part. 2 c. 5. Atque ut respectu  
 antecedentiæ necessitatem rebus non im-  
 ponimus; ita ratione consequentiæ lar-  
 gimur: qui sensus etiam est Philosophi-  
 cæ fatalis necessitatis.

§. II.

**I**mmobile duximus esse fatum ex suo  
 fundamento, sed percellit turbo ratem,  
 C . . . . . cum

cum non omnia ipsius DEI, nedum hominum decreta sortiuntur effectum, interveniente quandoque *primum* destinatorum pœnitentia; *deinde* causis quibusvis externis & artibus aliis, quæ præter solitum quid efficiunt. De hoc posteriori dicit Lucanus, quod concedatur arti, ut morti, quam fata vel sidera accelerant, possit quis inserere, moras, & illud quidem de fatis singulorum; universalia verò dicit descendere ab origine mundi, in quibus nihil varietur, singularia verò seorsim ab his habere causas suas, ut propter illorum variationem confusio universi timenda non sit. Sic ille, quod suæ relinquimus vanitati, certi de providâ DEI curâ in cursu mortalium, quod nec privata nec publica fata apud ipsum mutantur; nam *quis coërcente in ordinem cuncta DEO, locus esse ullus reliquus temeritati potest.* ut Boëtius: & Homerus

*• • Fatum ajo nullum vitasse virorum, (bem. Præsum seve bonum cum primum venit in or-*  
Sed ut hoc persvadeâ alicui, examinanda  
est



est illa de DEO asserta *pœnitentia*, quæ  
 nexum cohærentium causarum solvere  
 videtur. e. g. Ninivitæ in malitiâ perse-  
 veraturi perirent; resipiscentes serva-  
 rentur; an jam stabilis, an verò ambi-  
 gua statuenda illa æternitatis catena, cu-  
 jus vicissitudo & Jonam malè habuit?  
 Responso erit hæc breviter, quod ætera-  
 na illa veritas, ut in alio ita hic est sine  
 vicissitudine, adeoque immutabilior o-  
 mni immutabilitate; homo autem mo-  
 bilis in horas, & hic movebitur ac mu-  
 tationem lentiet quando DEUM, *av9 pœ-  
 nitentis* tamen, dicitur pœnitere desti-  
 natorum, *qui statuta dicitur mutare juxta  
 id quod homo speraverat, vel naturalium ordo  
 causarum gestabat; non juxta id, quod se  
 omnipotens facturum esse præciverat.* ut  
 Hipponens. loquitur Episc. L. 14. C. D.  
 c. 11. Ad illud de Ninivitis monet Hieron.  
 in Daniel c. 4. *Ad preces, inquit, Ninivæ  
 DEI sententia commutata est; non vanitate  
 judiciorum, sed conversione eorum qui meruerant  
 indulgentiam.* Quod autem homines sua

decreta aliter vel aliter flectant, id cuncta videntis DEI oculis, ante jacta orbis fundamenta planum erat, nec fatum refellit.

§. III.

**V**erum enim verò, fatendum omnes, etiam sapientissimos hominum, falli & fallere posse: sic cum agnovimus plurima benè esse dicta à Stoicis, quæ vel malignitas vel imbecillitas in pejus interpretatur; non dissimulandum est, quin humani tamen aliquid passi sint, & ad captum hominis sibi in natura sua relictis, judicaverint, quale inter alia est illud: multa fieri in regno hoc sublunari lege & necessitate inevitabili, etiam absque omni Divini Numinis advertentia & scientiâ. Deinde voluntatem hominis quoque & actiones morales includi huic necessitati, & quidem siderum motus habenas earum moderari; quibus tamen munitiores abstinerunt. Confundit Seneca DEUM cum fato, cum tamen differant ut Legislator & lex. Detestandum est illud:

*De-*

*Destinatam sortem nec DEO fas est effugere,  
quia,*

*Non Deus est numē Parcærum carcere clausum,  
Sunt qui de providentiæ infallibilitate  
dubitant, Manil. Poët. sic habet:*

*Et male consultis pretium est, prudentia fallit:  
Nec fortuna probat causas, sequiturq̄ merentes;  
Sed vaga per cunctos nullo discrimine fertur  
item . . . . jam jam neque Dii regunt,  
Neque profectò Deum summus rex omnibus  
curat.*

Et Seneca licet providentiam contra  
hujusmodi valide assertum eat, hæret  
tamen, cum statuendum est, an Deus  
*singulorum* curam agat? ita enim Epist.  
95 ad Lucilium suum: scimus illos, qui  
præsident mundo, qui universa vi sua  
temperant, qui humani generis tutelam  
gerunt, *interdum* curiosos *singulorum*. Si  
curantur *interdum*, sequitur negligi &  
oblivioni tradi *aliquando*. Idem Balbus  
Stoicus apud Cic: 3 Nat. Deor. *Magna  
Dii curant, parva negligunt*. Et Cicero pro-  
lixiori discursu eo deductus est, ut præ-  
scientiam futurorum negaret Deo, facit  
au-



autē hoc ne perderet libertatem volun-  
 tatis, neque fatum cogeretur asserere,  
 licet illud ipsum in Libris de divinat.  
 dari, ultro concesserit: ita vero ratioci-  
 nationem ejus deducit D. Augustinus  
 L. 5. c. 9 d. Civ. quam ego in com-  
 pendium redigo h. m. Si futura præ-  
 scita sunt, eo ordine eveniunt quo  
 præscita sunt. Si ita eveniunt, certus est  
 præscienti DEO, ordo rerum; si hoc,  
 est & certus ordo causarum ut fiant  
 omnia fato; sed si hoc concedo, tollo  
 mihi libertatem volendi; si iterum hoc,  
 subvertitur in totum vita humana, quia  
 frustra sunt leges, pœnæ & præmia.  
 Cogit itaque Tullius hominem religio-  
 sum ad eligendum alterutrum horum:  
 aut credere præscientiam futurorum,  
 aut liberum actum voluntatis, quoniam  
 simul esse non possent. Ipse autem li-  
 bertatem volendi eligit hoc argumen-  
 to: si arbitrium est voluntatis, non  
 fiunt omnia fato, quia rumpo quando-  
 que liberè agendo ordinem causarum;  
 si hoc, non eveniunt omnia ut DEUS

ea præscivit; & si hoc, non erit in DEO præscientia futurorum. Sed repositum est huic intricatæ deductioni, superiori paragr. & ostensum aliquat. quid genuinum sit fatum, dicimus tamen & hic cum Hipponensi præsule cit. Loc. Non omnia, imo nulla dicimus fieri fato, quatenus per fatum siderum constitutio intelligitur, religiosus itaque animus tam fatum quam præscientiam eligere & confiteri potest, quia *sicut scientia presentium rerum nihil his que fiunt, ita præscientia futurorum nil his que ventura sunt necessitatis importat, ut rectè monet Boëtius;* nam præscientia DEI non tollit rerum contingentiam.

### C A P. III.

#### §. I.

**P**rovidentiam dari insuperioribus diximus, nunc autem contra rationes adversum tenentes probabimus, præsertim eas quibus Seneca vexatus est, & licet ipse Lib. de provid: ultro citroque jactatas ad liquidum perduxerit,

non

non pœnitebit tamen fortassis tam easdem hoc capite in compendium redigisse, quam aliorum nostrasq; addidisse. Sunt multa quæ injustè videntur in hoc universi theatrum prodiisse, & tamen fas non est dicere, providentiâ divinâ producta esse alia quam bona, oritur ergò quæstio, unde mala multiplicia, utpote primum naturalia: deinde interna: denique externa? Naturalia sunt vel *rariora* ut partus monstrosi; vel *vulgariora* magis, & quorum putatur indoles temper mala, ut venena, feræ, serpentes & quæ sunt ejus fortis, quem dixeris horum auctorem & conservatorem? quem nisi eum qui & fecit cuncta & conservat. Sed annon fiet sic auctor mali?

§. II.

**D**ictum est de naturæ foetu, monstrosa scilicet alicujus animalis progenie, quam itidem scimus à DEO curari, sed unde in ipso defectus iste cum præter speciei propriam naturam fit? Respondebit hic Arist. 4. d. gener. anim. *qui monstrum præter naturam quidem*



*dem quæ solens & usitata est, sed non omnem,*  
 affirmat esse; præter sempiternam enim  
 naturam, quæ ex necessitate est, nihil  
 dicit fieri, ut tales exerrationes natu-  
 ræ sint quasi lusus potius & oblecta-  
 mentum Dei. De magis vero vulga-  
 to naturæ opere posses conqveri cum  
 illo Ciceroniano: L. 4. Acad. quæst.  
*Cur omnia nostri causa DEUS cum fecerit*  
*tantam vim natricum viperarumq; fecit? cum*  
*mordifera multa, multa perniciofa, terrâ ma-*  
*rique disperfit.* Sed occurrimus dicto Quin-  
 tiliani: *Frustra mala omnia ad crimen for-*  
*tune (multo minus DEI) relegamus; nemo*  
*nisi suâ culpâ diu dolet;* Sacra etiam no-  
 stra oracula indicant, homine faciente  
 malum, introductum esse malum, cum  
 in primâ origine cuncta innoxia fuerint.  
 Philosophus respondet: tantam varieta-  
 tem specierum, conciliare ornatum &  
 integritatem mundo, illustrioremque  
 reddere DEI sapientiam & potentiam,  
 ita Cic. 2. Nat. Deor. c. 127. *ut verò per-*  
*petuus mundi esset ornatus, magna adhibita*  
*cura est à providentia Deorum, ut semper es-*

sent, & bestiarum genera, & arborum omniumque rerum. Quod autem incommodi aliquid habeamus ab his quandoque, monemur absolutos nos non esse Dominos, sed ut magnificiamus quod imperare datum sit etiam super aspera & callidè nocentia, loquar cum Lipsio, quodve ferocissimæ terræ reveantur nostrum conspectum, ut non nisi irritatæ vel incautis nobis noceant; sic toxica salubribus mista, tutos nos præstant à toxici noxâ. Piè suspicit hanc ordinationem div: Pater Augustinus; *Divinam dicit admonere nos providentiam, non res insipienter vituperare sed utilitatem diligenter inquirere, ut ubi infirmitas nostra defecerit; sibi credamus occulta.*

### §. III.

**V**idimus plura dici mala, ex male præjudicatis; jam insinuant se etiam illa quæ majorem habent mali rationem, sc. mala nobis inhærentia, flagitia & peccata multiplicia, annon omnium aliorum factor & hæc fecerit?

Chry-

Chrysiptum inculcat Plutarchus dixisse:  
*nullam esse intemperantiam, nullam fraudem  
 cuius non sit Jupiter architectus.* Sed in-  
 digne de DEO dictum cum vitarent alii  
 Chrysipti verba mitigarunt, mali ori-  
 ginem anxie quærentes potius alibi,  
 & processerunt usque dum constitue-  
 rent duo principia *Deum & materiam* quæ  
 DEO in primordio creanti obstiterit  
 quominus bona fierent omnia, illam  
 Plato appellat *ἐναντία καὶ ἀντίπαλον τῆ ἀγα-  
 θήσιν φύσιν* *adversariam & rebellem bene-  
 ficæ nature*, & cum diu fluctuasset ob  
 illius otiosam inhabilitatem cui nulla vis  
 inesset agendi, statuit duas Mundi ani-  
 mas, *Beneficam & Maleficam*: sic Pytha-  
 goras, principiorum alterum esse *unio-  
 nem*. i. e. DEUM & Bonum; alterum in-  
 finitum *Binionem* i. e. Dæmonem & Ma-  
 lum: ita & Hermogenes, Materiam æ-  
 ternam cum Creatore proponebat, ut  
 Malum à materia, non à Creatore de-  
 duceret, idem fecit Seneca, & Marcion  
 hæreticus, duo fingens initia *Bonum &  
 Malum*. Nos qui duo non agnoscimus co-



æva principia, nedum plura; affirmamus tamen mala esse primitus à Dæmone & illum rursus à DEO, atq; sic deducimur eò ut agnoscamus eum esse causam causati, qui est causa causæ, scilicet DEUM. Verum ut dialectici hoc sua distinctiuncula decidunt, de essentialibus valere, non accidentalibus; sic nos dicimus Diabolum fuisse ipsum sui mali causam, & nostri instigatorem; quia quat. à DEO, bonus factus est, bonus & adhuc persistit essentialiter. Cumq; malitia non magis quam surditas sit ens, nisi morale dixeris, quomodo erit à DEO? *male enim voluntatis non tam effectus quam defectus est, ejusmodi a. voluntatis efficientem non quaeras, quia est nihil.* dicit. August. Dicendū denique quod *malum sit vel delictum vel pœna;* aut quod idem est, *malum culpa & pœnæ,* illud nostrum est, *hoc autem malū non est in civitate, quod non fecerit Dominus.*

§. IV.

**P**ræter mala naturalia & interna, diximus etiam reperiri externa, quæ providentiam, an ulla sit, sollicitant, & quam  
ma

maximè vexant probos ut præ indignatione & onere quandoque de viâ exorbirent. Cordatiores gentilium, duram vixerant vitam, sine dubio ut DEO acceptiores essent, ideo enim divinum se agnovere accepisse spiritû, ut eum DEO in promptissimû redderent cultum, cum labor citet optimos, *Et boni viri nati sunt in exemplar ut etiam alios pati doceant* ut Sen. d. Prov. 5. Attamen sub calamitatû onere gemuisse scimus: *quam anxia*, inquit Boët. Consol. Phil. *res est humanorû conditio bonorum, ut quæ vel nunquam tota perveniat, vel nunquam perpetua subsistat.* Scelestorû deliciae & opes quam maximè incertos de providentiâ reddidere præcipuè eos, quibus cœlestis lux nō affulsit, quale est illud: *Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Catoparvo, Pompejus nullo: credimus esse DEOS?* Quin & verè sanctorû indignabunda ex hoc audita est vox; Job. 21. *quare confortati sunt impii divitiis, &c. Et non est virga DEI super illos?* imò Assaph reprobam censuit ob hoc omnem nationem filiorû DEI, Ps. 73. Sed affectus vehementia extorquet quando-

doque tam iniquas voces, quas boni se colligentes revocant, citibus largiendo ambabus manibus sua bona. Gravis est vox Justi Lipsii dicentis: *At floret & dives est atiquis malus. Magnum! habeat sibi, in curam, angorem, ruinam. Pauper bonus, quid mali nisi iis qui hęc sola mala autumant? quia induratur & DEO præparatur. Miserum te judico, inquit Seneca, quod nunquam fuisti miser, nam si quem judicatis exceptum miseris: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. Sed vir bonus, videatur licet miser, nunquam tamen est; nam sentit quidem malum sed vincit, manens in suo statu, ut quicquid evenerit in suum colorem trahat. Videtis plura apud Senecam de prov: Plus ergo in adversis de providentia gloriandum gratiosa. Atque sic Lector Candide vale & fave! nec enim hæc ita congesta sunt ut omnibus placerent cum nulla magis displiceant, dicente Secundo Cons. quam quæ ita fiunt, tanquam omnibus placeant.*

**LAUS OMNIPOTENTI DEO!**